

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 9. 3) Notionis per partes explicatio.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

infigniendum utantur; per metonymiam enim istud fieri facile patet.

§. 8.

2) *Uterior notionis dilucidatio,*

Praecedens protestationis cambialis definitio ex eo lucem et robur nanciscitur, quod in cambiorum tum trassatorum, tum priorum cursu plures occurrant actus, quos ut tertius perpetret, contrahentes hac vel alia ratione conveniunt, quippe ut obligationem quandam implendam voluntatis suae declaratione suscipiat vel etiam eandem revera impleat. Quod quidem si non faciat vel non penitus sive minus perfecte faciat, sive nolit sive nequeat, redit res ad priores contrahentes; idque si acciderit, nova nascitur unius contrahentis obligatio, quae alias si nempe desiderio respondisset tertius, locum non habuisset. Ut igitur novae huic obligationi sua vis et effectus constet, necesse est argumenta in promptu sint, quibus probetur, haud praestitam fuisse, quae hujus obligationis conditionem contineat, actionem; id quod fit interposita protestatione cambiali *)

§. 9.

3) *Notionis per partes explicatio.*

Si istam definitionem, quam praemisi, in suas partes dissolvere velis; facillime invenies, ad protestationis cam-

*) Terminum: *einen Proseß leviren*, alii de acceptance instrumenti a notario per protestantem facta, alii de ejusdem transmissione ad trassantem s. alium ex cambio obligatum, alii denique de ipsa instrumenti confectione explicant. Cum vero omnia ista facta in eadem concurrant persona, ultimum autem maximi inter omnia sit momenti; haec vocabuli significatio palmam mihi prae ceteris mereri videtur.

cambialis *contenta* requiri *primo* factorum istorum, a quibus obligatio nova jusque novum eidem respondens pendeant, mentionem; *secundo* protestationem de juri- bus istis novis conservandis nec relinquendis, verbis ex- pressam; ad *formam* autem, ut sit instrumentum publi- cum, qua scilicet proprietate efficitur, ut sine ulla tem- poris mora probationi liquidae et plenae inserviat. Patet igitur ex hac enumeratione, omnem nostrum locum pendere a generibus protestationis et instrumenti publici. His igitur rite perpensis principia de protestatione cam- biali generalia facillime intelligentur.

§. 16.

a) Quoad *contenta*.

Ex notione et indole protestationis generali *) prima haec regula fluit: Protestatio in genere, uti quaevis uni- lateralis voluntatis declaratio, nova non gignit jura, sed ea tantum, quibus jam gaudemus, conservat; sive uti di- cunt, *protestatio conservat jus protestantis.* **) Idem quo- que igitur de protestatione cambiali tanquam specie di- cendum. Nullum effectum inde deducere potes, nisi

B 3

circa

*) Hoc quoque thema recentiori indiget tractatione singulari; novissima enim, quae in *Lipenii* Bibliotheca offenditur, dissertatio (*Fried. Christ. KOCHII* binae meditationes juris naturalis, altera de protestationibus, de consensu praesumpto altera. Jenae, 1740) jus positivum minime tangit nec ergo huc pertinet, atque ipsa juris naturalis praecepta methodo scholastica et absque fructu tractat.

**) Arg. L. 4. §. 1. D. quibus modis pignus l. hypotheca, arg. L. 14. §. 8. D. de relig. et sumtib. funer — Citatur a pluribus de cambio scriptoribus circa hanc regulam L. 8. §. 6. D. de operis novi nunciat.; sed nihil omnino, quod huc pertineat, in ista invenitur.

